

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

David Richter

**Festum Translationis Bibliorum Lutheri Germanicorum, In Gymnasio  
Meclenburgico Anno M. DCC. XXIX. d. XII. Octobr. Octo Solennioribus  
Orationibus Inter Concentus Musicos. Eosque Pios, Cum Omnibus ...**

Rostochii: Adlerus, [1729]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832179027>

Druck    Freier  Zugang





clK-9453 (1.)

29  
16  
**FESTUM TRANSLATIONIS  
BIBLIORUM LUTHERI  
GERMANICORUM,**

IN

**GYMNASIO MECLENBURGICO**

Anno cl<sup>o</sup>. Icc. xxix. d. xii. Octobr.

OCTO SOLENNIORIBUS ORATIONIBUS IN-  
TER CONCENTUS MUSICOS, EOSQUE  
PIOS, CUM OMNIBUS,

QUI  
BENEFICIA DIVINA, PER HAN<sup>O</sup> OPERAM  
AD SE PROFECTA, GRATO ANIMO AGNOSCE-  
RE DIDICERUNT, CELEBRATURUS,

**PATRES UTRIUSQVE  
REIPUBLICÆ,**

UT FREQVENTES NOSTRAM PROBENT  
ET ACCENDANT PIETATEM,

HUMANISSIME ET ENIXE ROGABAT

**M. DAVID RICHTER,**

GUSTROVIENSIS, RECTOR.

R O S T O C H I I ,

Typis IO. IAC. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD.

Typographi.

Progr

Verbum Domini Manet in Æternum.



Ua quævis Bibliorum versio subiit fata, & judiciorum experta est varietatem. Lutherus itaque, qui primus & unus post Hieronymum, tanta adhuc literas Ebraicas premente difficultate, Fontes S. non adire solum & tractare, sed & in vernaculam transfundere ausus fuit, si cum ipso Deorum Patre, Jove, omnibus haud placuerit, quis rei mirabitur insolentiam? Ut vero nihil hic amori, nihilque odio tribuamus, justum ab iniquo secernentes, Lutheri Versionem cum Optima quacunque alia conferamus, hac tamen lege, ut, quod nefas est in Septuaginta-virali tentare, sine crimine quoque in Lutheri nemo audeat, & rufus: quod laudi dicitur *70is 70.* ne oculus nequam Luthero invideat. Sed rem ipsam aggrediamur. Ex Græca LXX, omnis in fide & pietate institutio, omnisque in sacris doctrina accepta fuit, ad usque Origenis ævum. Et nostram, quam Luthero grata mente debemus, Scripturæ versionem non apud nos solum, sed & alios, (a) in publicum & Ecclesiæ & Scholæ usum fuisse receptam, & utiliter ex eadem addisci & doceri salutarem doctrinam, Optimi quique Ecclesiæ nostræ Doctores jam diu monuerunt. (b) Antiqua Græca exemplum fuit plerorumque versionum Orientalium: & ex Lutheri nostra versione concinnatæ fuerunt versiones, antiqua Belgica, (c) Yrlandica, aliisque plures *Septentrionalibus Lutheranis propria.* (d) Polyglottis *70.* Senes semper additi fuere: Lutheri Bibliis eundem honorem fuisse tributum, Paulus Eberus, Johannes Draconites, Elias Hutterus, David Wolderus, Christ. Reineccius, aliqui sunt testes. (e) Styli nitor in *70.* Interpretatione à Cel. Fabricio, (f) optimo

(a) Vide Waltheri Officinam Bibl. Reposit. I. Theca IV. arc. 6. §. 506.-511. & ex eadem Buddei Isagog. p. 1562-

(b) Vide Methodicos Studii Theolog. Autt. v. g. Gerhardum fect. 3. p. 231. Calovium in Pædia L. 2. p. 75.

(c) V. Leusdeni Philol. Hebræo-Mixt. p. 70. sqq.

(d) V. Simon Hist. Crit. V.T. Lib. 2. capp. 2. sqq. & cap. 23. p. m. 129. & Kort Holt de Variis Script. Editt. cap. 28. & sqq. Fabricii Centifol. p. 159.

(e) V. instar omnium Wolfius Bibl. Hebr. Part. II. Lib. 2. Sect. 4. p. 433. Fabric. Centif. p. 163. (f) In Biblioth. Græc. L. 3. c. 12. p. 331.

mo certe hujus causæ arbitro, laudibus his commendatur : *Is, cui 70.*  
Interpretes familiares sunt, multa melius in scriptis Evangelicis atque Apostolicis  
percipiet atque interpretabitur, quam qui in aliis Græcis scriptoribus diu multumque  
fuerit versatus. Germanicæ Linguæ in traductione Lutheri tantam inesse  
puritatem, ornatum, copiam atque energiam, quantam nemo imitatus  
fuit, nec se affecutur speraverit, Critorum Principes semper palam  
fuerunt confessi. (g) Carpitur sæpe Senum illa translatio *iis etiam in locis,*  
*cum (carpentes) hi ipsi potius essent reprobendendi vel propter lingue Græce igno-*  
*rariantiam* (h) vel &c. : Ad eundem modum ingratissimis Lutheri discipulis au-  
rea nostra vapulat versio, cum illis potius hoc officii datum erat, eandem  
defendere, commendare & imperitorum contra eandem insultus repel-  
lere & examinare, haud vero pueriliter iis applaudere, id quod præci-  
pue turbæ illæ per Frankio-Hallenses observationes, impudenter admo-  
dum & misere ex Sauberto, Panætio, Burcklino & Dassovio transcriptas  
& germanice versas, excitatae, fatis abunde nos docuerunt. (i) Omnes  
7av o editiones ad tres fere, Complutensem, Aldinam & Romanam com-  
muniter (k) reducuntur, ex quibus reliqua omnes manarunt. Eodem  
modo, si omnes Bibliorum Theandricorum editiones ad Wittebergen-  
sem, Luneburgensem & Diecmannianam, quæque, nescio majorine li-  
bertate, an audacia? eandem secutæ fuerunt, Prettenianam & Cansteini-  
Hallensem revocaveris, primam cum Aldina s. Veneta, cum Vaticana  
s. Romano-Sixtina secundam & cum Complutensi Prettenianam hanc-  
que coeco impetu secutas composueris, rem, si non acu tetigeris, piaculo  
certe dignam nec commiseris. Utra vero harum altera sit præstantior?  
vix Oedipus dixerit. *Fatendum enim omnibus, nullam accuratam esse & singulas*  
*erassis erroribus & vitiis scatere,* quemadmodum Terror ille maximorum  
Criticorum, Simon, de 70. judicavit. (l) ALDINA utique multam pro-  
meretur laudem, ita 7ss o reddiderit, quemadmodum eos in MSC.  
invenerat, licet librorum ordo à Latinis & Hebraicis dissideat. (m) Wit-  
tebergenses quoque quam tenaciter ultimæ à Luthero A. 1545. editæ Bi-  
bliorum versioni adhæserint, (jure, an secus, non disquiram) & avoijœ  
quemlibet docebit & eristica Reineccii & Krafftii scripta amoebæa abun-

## A 2

de

(g) Sturmius vid. ap. Gerh. in Methodo Stud. Theol. p. 153. Alii quamplurimi  
vid. ap. Kromayer, in Polymath. Theolog. Part. II. cap. 5. p.m. 157. sqq. Krafft-  
tium in præf. des andern 100. jährigen Jubel-Jahrs, §. 2. p. 6. Juncker. in vita  
Luther. p. 133. qnibus addi meretur Bodiker. ap. Fabricium in Centif. p. 175.

(h) Sunt verba Fabricii, in Biblioth. Græc. I. c.

(i) Vid. instar omnium Beckii disquisit. Hermen. in 440. dicta. Alios plures-  
que dabunt Schelguig. Synops. art. 3. quæst. ult. p. 40. Fabricii Centif. p. 156.

(k) Vid. Usserii de his 70. Syntagma cap. 8. Rich. Simon. I. c. cap. 3. p. II.

(l) I. c.

(m) Vid. Autores, nota k. ctt.

Progr

de testabuntur. In VATICANA s. Romana, Sixti V. P. R. aūspiciis edita, quæ *præ reliquis purior & integrior merito videtur Viris doctissimis*, censemte Fabricio l. c. puram ubique & genuinam  $\gamma\omega$  70. Senum spirare editionem, feliciter jam, satisque fideliter restitutam, Anton. Cardinalis Carafa (n) Flaminius Nobilius, (o) novusque Eorundem editor Parisiensis, Jo. Morinus (p) religiose admodum adfirmant & gloriantur equidem; fallere tamen Eos turpiter & pro vera sinceraque  $\gamma\omega$  LXX. interpretatione Lucianeam, sive *noīnū*, Vulgatam Hieronymo appellatam, nobis vendidisse, Andr. Masius, Jac. Bonfrerius, præcipue autem Jac. Usserius (q) clarissime omnium docuerunt. Luneburgenses autem, Diecmanniarias priores, & editionem post Lutheri obitum primam An. 1546. cum communi & Vulgata ista aliquo modo comparari posse, is demum judicaverit, cui Lucianeorum exemplarium ratio (r) satis fuerit perspecta. Adulterinas enim lectiones, corruptas descriptiones, earumque juxta fontes correctiones omnes *præ se ferunt & clamitant, quibus utique nec in toto Veteri Testam. post 70. Interpret.* (Tu adde: post Lutherum) emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis (R) Scriptura antea translata doceat, falsa esse, quæ addita sunt. (s) Hinc etiam factum fuisse autumo, quod If. Vossius, acerrimus  $\gamma\omega$  70. assertor & defensor, Romanam omnium editionum pessimam habuerit, quod Rich. Simon (t) indigne quidem fert, Venetam tamen meliorem & simpliciorem ipse pronunciat. Superest COMPLUTENSIS, tam pulchre, si dls placet, Septuagintaviralem ad Hebraicam veritatem emendans, ut, quæ in Hebraico erant, si in LXX. decessent, ex alia Interpretatione explerent, quæ autem in LXX. supererant, quaque Origenes satis habuerat obelo notare, ipsi sapienti resecaerunt, ac præterea &c. Quod quidem eorum in hac postrema parte consilium nos minime reprehendimus: sed Hieronymo in Apollinario non est probatum: atque ut laudandum sit, omnino tamen non ad 70. Interpretum editionem constituendam, sed ad novam quandam, ex multis permistam, excudendam videtur pertinere. (u) Liberius hic iterum loquitur flagellum illud Criticorum, audacissimus Rich. Simon, candide & aperte satis horum imprudentissimum, 70. versionem emendandi, consilium, corruptionem verius, quam reformationem dicendam professus. Licebit itaque indigne ferre, Septuagintaviralem ad fontes non solum corrigi, sed ita corruptam quoque excudi, & pro germana illa

70.

(n) In suis ad Græc. edit. Rom. Præfatt.

(o) In suis ad Latin. edit. Præfatt.

(p) In fronte suis ad Lect. Præf. & §. 13.

(q) Vid. Usserium l. c. adde Simonem l. c.

(r) Vid. Simon, l. c. (R) vid. not. d. Usserius cap. 7.

(s) Ita Hieronymus ap. Usserium cap. 7. p. m. 72. edit. Lips. 1695. admodum mendosæ. (t) l. c. p. 18. circa fin.

(u) Verba sunt Carafæ in Præfat. ad Lect. Lat. Rom. Edit. præfixa.

70. hanc emendatam s. reformatam substitui, emtoresque decipi. Potest  
ne autem Simonio & ante eundem Carafæ objici, quod, quia quidquam  
in Græca corrigi vetant, eandem pro avthentica haberi velint? Minime,  
nisi admodum ridicule Criticæ artis imperitiam cum tua superstitione  
prodideris. Prettenianas s. Schleusingenses, & posteriores Diecmannia-  
nas s. Stadenses (v) Complutensibus adsimilari posse videntur. Licet e-  
nim nihil in Lutheri versione resecare potuerint, quia ad fontem factæ, su-  
peresse nihil potuit, plenioribus tamen & plus quam plenissimis accessioni-  
bus B. Lutheri à se fuisse locupletatam, longus, quem præfationibus inferu-  
erunt, omissorum & restitutorum versuum & hemistichiorum catalogus  
loquetur, ita, ut, licet B. Prettenius Jovem jurarit lapidem, se Theandro  
*essentialia* suæ versionis reliquise integra, hanc tamen vis conscientiæ &  
veritatis eidem expresserit confessionem: (x) Da gleichwohl, so viel immer  
möglich gewesen, die Autorität der von dem Seel. Manne Selbsten und  
NB. anderen berühmtesten Theologen, NB. NB. CORRIGIRten teutschen  
Übersetzung allezeit zum Fleißigsten beobachtet worden. Vide, quam  
incorrupta & integra manserint B. Megalando suæ versionis *Essentia-*  
*lia*. Cansteinio - Hallensem vero eandem fere cantilenam canere, res  
est in propatulo. Aperte namque Per-Illustris, & inter coelites jam  
triumphantis, viri testatur præfatio, se Helmestadiensi sub No. 6. si-  
gnatae editioni, tantum autoritatis tribuisse, ut dubias Aliarum lecti-  
ones vel ex Ea Sola, neglectis, quas rara felicitate conferre potuit,  
editionibus, per vivum Lutherum procuratis, afferat, ipsiusque Thean-  
dri versioni si non præferat, saltem æquiparet. Heic autem amicos &  
discipulos admurmurare mihi videor, qui Cansteinianam editionem,  
toties à me cœteris prælatam & commendatam, jam corruptam verius, quam  
reformatam judicem? Ita vero est, commendavi eandem, nec unquam  
hujus meæ commendationis pœnitabit. Aliter vero de vernacu-  
lis bibliorum editionibus, tanta varietate jam prostantibus, judicare  
debent docentes, dissentium promovendam utilitatem & usum re-  
spicientes, aliter sentire debent Critici, genuina ab additamentis se-  
cernentes & Luthero, quæ sua sunt, relinquentes. Inter novas s. Vul-  
gatas, Cansteiniana certe Regina est, nec ulla unquam cum Eadem com-  
parabitur. Quinimo Augusta prorsus est, tanto typorum prelorumque  
apparatu munita, ut, quia typi & prela, junctâ semper formâ, per-  
manent, nec, ut alias fieri solet, denuo post factam impressionem dis-  
jiciuntur, Biblia brevissime nobis datura sit, ab omni, eoque levissimo  
sphalmate atque mendo prorsus immunia, licet Patrum nostrorum me-  
moria hæc fieri non posse & incredibilia fuerint habita. B. certe Can-  
steinius, Heros ad seculi nostri gloriam natus, solus atque unus tantis

A 3

sum-

(v) Vid. Diecmans teutsche Schriften P. 2. p. 35.

(x) In Præf. ad Biblia Schleusing. ap. B. Frankium *kleine Schriften* p. 288.

Progr

sumtibus ferendis par à DEO fuit selectus, quantis, o turpe dictu! nullus neque Imperatorum, neque Regum, neque Electorum, Ducum, Principum &c. par esse voluit, neque curavit. Satis liberali itaque manus Lutheri versioni, quæ sola inter omnes libros sine mendis Halæ prodibit, suum restituit nitorē & majestatem ipsamet Hala, quam olim Eidem per infastas Observationes Biblicas invidebat, aut saltem imminutum ibat. Messem vero, non spicilegium emaculationum in Eadem restare, is demum affirmabit, qui pronomina, v. g. יְהוָה, אֱלֹהִים, Du, Ihr &c. & numeralia טוֹנָא Ein, Eine, &c. ex Concordantia evolvenda, cum Cansteiniana commisit. Certe, in solo Pentateuch tres vel quatuor restabunt decades, majusculam literam E desiderantes. Vide Num. VII. 3. 43. 85. XVI. 15. XXXI. 28. 30. 47. in editione XX. minori, a 1725. impressa, quæ ad manus mihi fuit. Plura, quibus hæc editio plenior & accurasierat prodire potest, adjicere & suppeditare vetat angustum, unius plagulae, spatium. Properandum enim est & Lutheri opera cum 70. versione, fata inter se essent conferenda. Contendere Lutheri opera cum 70. senibus posset, quod utraque à fonte abeat, si non culpa Interpretum, ast exemplorum tamen, quibus Translatores usi fuerunt, diversitate (y) item: quod utraque multas passa fuerit corruptelas, (z) præcipue vero, quod in gratam tanti divinique beneficii memoriam utraque fuerit peculiari Translationis festo condecorata. Quomodo Ægyptii Græcique, insulæ Pharo, anniversaria celebraverint in recordationem factæ per 70. versionis sacra, eaque solennia, Philo (a) te docebit pluribus. Bugenhagium cum sua familia (b) quotannis festum translationis Bibliorum Lutheri celebrazze, constat inter omnes. Quem vero diem huic publico pietatis officio addixerit, num statum, an mobilem? & rursus: Istumne diem, quo prima totius N. T. editio germanica prelo liberata evulgata fuit, quique Matthæi Evangelistæ memoriam nobis d. 21. Septembr. (c) commendat, an vero illum, quo Germanicæ versioni ultimam manum adhibuit, (d) aut universa Biblia germanice versa a. 1534. (e) conjunctim fuere evulgata,

(hic

(y) Vide Hottingerum Thes. Philol. L. 3. c. 3. sect. 3. qu. 15. Nam, quod quæst. 4. p. 292. Samaritano codice 70. iſos asseruerat, parum videbatur probabile. Vide Leusden, Philol. Hebr. Mixtum p. 26. sqq. Hic licet illum fere alias excribat.

(z) Hottinger. I. c. p. 368. (a) Ap. Hottingerum p. 334.  
(b) Der fromme Doctor Johann Pommer, Pfarrer zu Wittenberg, verordnete in seinem Hause ein eigen Fest, und hielte jährlich Translationis Bibliorum, davon er mit seinen Kindern und Freunden seinem Gott dankte &c. Matthes, Conc. 13. de Vita Lutheri p. 423.

(c) Ita quidem Conring, in Epist. gratul. ad ducem Augustum p. 62. Willisch in Præf. Nov. Test. Græc. Germanici.

(d) Ita Gerhard in Meth. Stud. Theol. p. 154.

(e) Ita Gesnerus, aliquie ap. Junckerum in vita Lutheri Numism. §. 34. p. 133.

(hic autem ignoratur) fastorum annaliumque conditores incerte admodum definiunt. Plurimi, Abr. Bucholzeri fidem secuti, Matthæi diem Bugenhagio festum fuisse afferunt, quia illud in indice suo Chronol ad A. 1522. relatum reliquit. Credo, Bucholzerum, quia ad hunc annum referre debuit primam N.T. Germ. editionem, occasionem simul arripuisse, Pomerani illius religionem prædicandi, serius sicut hoc festum omnino celebraverit. Temporum namque rationes subductæ, ut dubitem, imperant, quia anno millesimo quingentesimo vicesimo primo, paucio ante iter Lutheri ad conventum Imperatoris Caroli V. qui eo tempore fuit in urbe Vangionum, Wittebergam demum venit (profugus) Bugenbagius, annum a gens quartum & tricesimum. (f) Lutherus autem Imperatoris fidem publicam f. Salvum Conductum (g) d. 6. Martii Wormatiæ scriptam, natus, jam d. 16. Aprilis feria 2. post Misericordias Domini (h) Urbem Worm. intravit, & ex eadem discedens d. 26. April. die Veneris post Jubilate (i) hora 10. ante meridiem, inque itinere d. 4. Maji exceptus (k) In sua Pathmo abditus latere cogebatur, die demum 17. Martii anni insequentis 1522. Wittebergam (l) reversus fuit publice, turbas Carolostadianas sedatus. Bugenbagius vero privatam vitam vivens Psalterium (m) interea enarravit & juventutem utiliter docuit aliquanto post, (a. nempe 1523.) (n) consentientibus suffragiis Academia & Senatus oppidi, factus Pastor Ecclesiæ Vitebergensis, quam annos 36. gubernavit. Erant tunc (a. 1522.) concubines D. Philippi, Petrus Suavenius & Bugenbagius. (o) Ubi itaque hujus coniutoris, Ministerio sacro nondum potiti, nec doctoris titulo, quem a. 1533. adeptus fuit, (p) insignis, familia fuit domestica, Treptoviæ forsitan adhuc hærens? (q) Majori itaque veritatis specie illorum se commendare potest assertio, qui Matthesium secuti, a. 1541. hoc translationis festum à Bugenhagio inceptum fuisse statuunt. Hoc enim anno celebris ista Bibliorum revisio, quæ καὶ ἐξων magna dicitur, cuique Bugenbagius cæterique Synedrii Biblici collegæ interfuerat & laudabilem operam adhibuere, feliciter fuit perfecta, de qua unice Matthe-

fii

(f) Vid. Petr. Vincentii in Obitum Bugenh. Orat. Tom. 3. declam. Melanchth. Argent. per Richardum editarum p. 799.

(g) Formulam ejusdem ex Wegnero exhibet Fabricii Centifol. p. 79.

(h) Ex Tom. I. Jenens. f. 441. refert Zach. Webber, Bibliopolia ille Amstelodamensis, in Histor. Confess. August. p. 52. & Matthesius. (i) Webber, l. c. p. 80.

(j) Iunckeri vita Luth. §. 18. p. 52. Plures vide in Fabric. Centif. p. 83.

(l) Iunckerus l. c. §. 57.

(m) De his Laboribus in Psalmum vid. Serpilii Comment. in Psalm. p. 428. 429.

(n) Unsch. Nachr. 1702. 43ster Sonatæ p. m. 695.

(o) Iterum sunt verba Vincentii, ad notam f. citati.

(p) Unsch. Nachr. l. c.

(q) Hunc enim vita statum Bugenhagio, annuatim hoc festum celebranti; tri- buerat supra nota h. Matthesius.

Progr

sii Concio 13. intelligenda. Hanc versionem Lutherò rogante & probante in idioma Saxonie inferioris a se trans fusam edidit idem Bugenhagius durch Vorlach und Bekostinge des vornemen Mans Mauritiū Golgen, Börgers tho Wittemberg, und darsülvst gedruckt durch Hans Lufft A. C. 1541. im Augstman. Parum vero refert diem nosse, nisi Bugenhagiī pietatem fueris imitatus. Biblia autem qui amat, aut diligenter perdidit, facile, quantum Lutherò debeat, perspexit atque fatebitur. Cum itaque ad ravim usque discipulis meis antelucanam S. Scripturæ lectionem commendare soleo, placuit, Majorum (r) meorum pietatem sequutus, illis opportunatatem suppeditare, Summorum virorum patrinia & favorem, honesta, & ex literis gloriam gratiamque aucupante ratione, sibi conciliandi. Festum itaque translationis bibliorum solennioribus orationibus celebrare studebunt cras ante meridiem post horam IX.

I. JOACHIM GEORG DARJES, Gustroviensis, Orat. Latina exposi-

turus : *Quam ignota ante B. Lutherum fuerint S. Biblia.*

II. JOACH. AUGUST LUBCKE, Gustroviens. Orat. Germ. tradet

*Historiam versionis nostræ Germ. per Lutherum confectæ.*

III. JOH. GEORG BÆVER, Warena-Meclenb. carmine Latino ca-

net LAUDES *Versionis Megalandri.*

IV. CHRISTIAN HENRICH PLATO, Parchimens. Orat. Latin. re-

censebit *Bibliorum Polyglottorum compendia, specimine ex Gen. I. I.*

desumto. Post meridiem hora circiter III.

V. JOHANN JOACH. EMMERICH, Teteroviens. Orat. Germ e-

narrabit *Potiores Versionis Theandrica Editiones.*

VI. JOHANN CHRISTIAN NEUCRANTZ, Meclenb. Latine canet

*Fata Versionis hujus.*

VII. JOHANN NICOLAUS VOGELL, Gustrov. Orat. Latina dicet, de

*Recentiorum versionibus Biblicis, sc. Belgarum, Sauberti & Horchii.*

VIII. JOH. SAMUEL FABRICIUS, Dargunens. metro vernaculo

laudabit *Principes S. Bibliorum & Metaphrasas & Anagnosas.*

Dabitis itaque P. C. hoc meis precibus & vestris filiis, ceu futuræ no-

stræ posteritati, ut Optimos Juvenes, periculum in dicendi arte factu-

ros, complectamini vestro favore & frequentes comprobetis, Vestram

audiendi benevolentiam illorum pietatem & bene merendi studium

alere, probare & confirmare. Omni & quavis data facultate tanta gra-

tiæ documenta mihi exhibita interpretabor non solum, sed &

quolibet officiorum genere iis respondere studebo.

T A N T U M !

(r) Stephanum Hanien intelligo, qui *Memoriam Secularis Translationis Bibliorum Lutheri Germanicorum* in auditorio nostro primæ Classis die VII. Febr. peracta concione Catechetica, heic A. 1643. recitatit & postea Rostochii evulgavit, plagulis 4<sup>1</sup>/<sub>2</sub> in 8. Digna, quæ correctior recuderetur, oratio, *Memoriam Hahnii conservavit B. Thomas analect. Gustroviens. Catalogo Biographico p. 27. sqq.*

\* \* \* ( . ) \* \* \*





De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis studiis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, instituiert werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie eni der Universität nach Helmstädt mit Nutz verschick. Cum deinde turbulentum Brunsvicum, mox vero Gv cum adiisset, in secessu vicino Hessen ab Avia sua te receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates auto semenses, dictaque Monasteria latius enarrabunt Autor Baringium reperiundi.

### §. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d. præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M. Bericht nach, sollen die Salz-Röten jährlich 2 Tonnen tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g. Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet. vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar. SIGIUS, pleniorum sine dubio dabunt notitiam in *Bt xon. Super.* p. 941. In templo Cathedrali Halensi runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore liberorum Parentis facti, cuius πολυτελίας alia pluram peditabunt exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17 *CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 - 2* Jac. THOMASII, *Oratt.* p. 121. *LANSII Consult.* p. n. omittam STEPNERUM in *Inscript. Lipsiensibus:* A

